

**PONTIFICALIS ROMANI EXPOSITIO  
IURIDICO-PRACTICA**

IOACHIM NABUCO

*Protonotarius Apostolicus*  
*SS. CC. Rituum et Caeremonialis Consultor*

# PONTIFICALIS ROMANI

EXPOSITIO IURIDICO-PRACTICA

**functiones pontificales extraordinariae**

*Editio secunda iuxta novam editionem*  
*Pontificalis Romani revisa*

DESCLÉE & SOCII  
PARISIIS — TORNACI — ROMÆ — NEO-EBORACI

NIHIL OBSTAT  
Tornaci, die 31 martii 1962  
H. Van Haelst, can. libr. cens

IMPRIMATUR  
Tornaci, die 31 martii 1962  
J. THOMAS, vic. gen.

Copyright © 1962 by Desclée & Co., Tournai (Belgium)

All rights reserved

*Printed in Belgium*

PONTIFICI FUTURORUM BONORUM  
IESU CHRISTO

TOTIUS LITURGICAE ORDINATIONIS  
PRINCIPIO ET FINI  
OMNIS PULCHRITUDINIS ET DECORIS  
ORIGINI ET EXEMPLARI  
OB INTEGRAM VALETUDINEM  
SIBI RESTITUTAM  
GRATO ANIMO  
AUCTOR

DDD

## NOTA AD SECUNDAM EDITIONEM

Pius Papa XII, s. m., in Apostolica constitutione *Episcopalis consecratio*, in festo Sancti Andreae Apostoli, anni 1944 edita, de episcopis conconsecratoribus egit; dein, eodem die 30 novembris, anni 1947, alteram promulgavit constitutionem, *Sacramentum ordinis*, essentiam ordinationis definiens.

Die 26 iulii 1960 Sacra Congregatio Rituum novum edidit rubricarum Missalis et Breviarii codicem, in quo plurima directam habent cum Pontificali relationem.

Demum die 13 ianuarii anni 1962 \*, Sanctitas Sua Ioannes XXIII partem II Pontificalis Romani ex integro reformatam et meliore forma dispositam, Sua suprema auctoritate publicari iussit.

Sed etiam instauratio Maioris Hebdomadae magni momenti pro Pontifical fuit, praesertim quoad ordinationes in Sabbato Sancto habendas.

Propter haec omnia necesse erat expositionem nostram Romani Pontificalis magna ex parte revisere; eamque nunc habes, benevole lector.

Tria volumina I editionis compactiore forma in uno tantum nunc eduntur. Sed cum in I editione pro unoquoque volumine marginalis numeratio propria erat, in hac II editione eandem observare debuimus regulam, diversis de causis, seu pro tribus partibus numerationes a numero I incipiunt.

Novam hanc editionem perlibenter reviserunt RR. DD. Fridericus Vier OFM et Ioseph Narciso dos Santos CMF, et hic illis ex corde gratias agimus.

R. D. A. Bugnini CM, secretarius Commissionis Liturgicae Concilii Vaticani II, semel et iterum in hac nova editione quantocius paranda adiumentum magnum dedit : Dominus retribuet abundanter.

Pontificia Domus Editorialis Desclée in hac II editione edenda maximam adhibuit diligentiam, pro qua perplurimas gratias agimus.

I. N.

\* Dies publicationis a Typographia Vaticana; decretum SRC tamen datum est die 13 aprilis 1961.

*Non nisi post diuturnum studium sacrorum rituum Romanae Ecclesiae ausi sumus expositionem nostram Romani Pontificalis aggredi, nam res erat difficilis, iterque salebrosum (\*).*

*Rubricae Pontificalis non nunquam obscuritate laborant vel peccant brevitate; Pontificale inter et Caeremoniale episcoporum non semper exstat uniformitas; decursu temporis, consuetudines diversae huc illuc introductae fuere, aliquando praeter, alias positive contra rubricas, quarum aliae sunt secundum rationem, aliae non.*

*Praeterea solet Pontificale rubricam semel datam, in casibus similibus, non repetere; necesse est proinde rubricas inter se conferre, et, ex ipsis, principia seu regulas inferre; quam frequentissime dubia deponuntur ipso comparativo rubricarum studio, cum certum sit legislatorem nolle sibi ipsi contradicere; accedit quod ritus, etiam prolixi, uti ecclesiarum consecratio, traduntur sine ullis divisionibus, quibus possint memoria teneri.*

*Congregatio sacris ritibus a Sixto V praeposita, frequenter interrogata circa dubia Pontificalis, respondit servetur Pontificale, dubio non deposito. Praeterea multa decreta responsiones tantum sunt propositis dubiis, quae non raro ex ignorantia legis occurrebant, et saepe male redacta fuerunt ab inquisitoribus. Quapropter Romanum Pontificale explorare, explicare, explanare, tum in parte rituum tum in amplissima parte iuridica, in usum praesertim episcoporum et praepositorum caeremoniarum, necessarium existimavimus. Prae oculis habuimus brevitatem sine claritatis nocumento, et cum, nostris praesertim diebus, tempus sit breve, quantum potuimus, fecimus ut ritus, praesertim prolixiores, quam expeditissime gravissimeque tractarentur simul et absolverentur.*

*Notae, quae in fine diversarum partium inveniuntur, positae fuerunt ad expositionem nostram iustificandam, nec erunt necessario legendae ad ritus expedite celebrandos.*

*De re historica, tam utili quam necessaria, et de intima rituum compositione, invenies tantum quantum necessarium erit ad ritum et ius hodiernum facilius intelligendum seu clarius explanandum.*

(\*) "...s'il est un livre qui pose des problèmes c'est bien le pontifical. Que de rubriques, que d'usages, que de textes dont le sens exact et la signification profonde nous échappent". Les Questions liturgiques et paroissiales, 1931, p. 86.

*Librorum liturgicorum perscrutatio, prout hodie exstant in Ecclesia, esto basis super quam oportet evolutioni rituum studere; praeterea scientia liturgica est res quaedam viva et actualis, non mere historice tractanda.*

*Conati sumus fugere censuram sancti Hieronymi qui de quibusdam sacrorum librorum commentatoribus dicebat eos abundare in planis et in salebrosis deficere.*

*Faxit Deus ut, ad communem aedificationem, tum ritus qui quotidie fiunt, tum illi qui varius persolvuntur, eadem cum perfectione fiant, sicut decet Ecclesiam Dei, ad hoc enim laboravimus.*

*Dni. Ninus Minella et Fridericus Vier, O.F.M., totum opus diligentissime reviserunt. Bona omnia retribuat eis bonorum omnium Distributor!*

*Scribebam Flumine Ianuario in Brasilia.*

I. N.

## SIGLA USITATA

### A. — FONTES

- ASS — Acta Sanctae Sedis, Romae 1864-1908, 42 vol.  
AAS — Acta Apostolicae Sedis, Romae 1909 ss.  
SRC — Sacra Rituum Congregatio.  
NRC — Novus rubricarum Breviarii et Missalis Codex.  
SO — Sacra Congregatio Sancti Officii.  
SCS — Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum.  
D — Decretum SRC. DD si plura. Citatur editio Leonis XIII.  
CIC — Codex Iuris Canonici.  
CICO — Codex Iuris Canonici Orientalis.  
IA — Interpretatio authentica Pontificiae Commissionis CIC.  
PR — Pontificale Romanum.  
RR — Rituale Romanum.  
MR — Missale Romanum.  
CR — Caeremoniale Romanum, seu SS Caeremoniarum SRE libri tres Augustini Patricii, Venetiis 1516. Citatur editio cum commentariis Catalani, Romae 1750-1. 2 tomi.  
CE — Caeremoniale Episcoporum. Citatur 1<sup>o</sup> loco n. libri; 2<sup>o</sup> capituli; 3<sup>o</sup> paragraphi.































### B. — AUCTORES

- MM — Martinucci, Manuale SS. Caeremoniarum, editio Menghini, Romae, 1911-15, 4 vol. Citatur volumen et pagina.  
LVH — Le Vavasseur-Haegy : Les Fonctions pontificales, ed. 4<sup>a</sup> Stercky. In ritu Ordinationis *Cérémonial des Ordinations*, 4<sup>me</sup> éd. Stercky; in ritu consecrationis episcoporum *Cérémonial de la Consécration des Evêques*, 5<sup>me</sup> éd.; in 2<sup>a</sup> parte : *Cérémonial de la Consécration des Eglises*, 7<sup>me</sup> éd.



- APC — *Annuaire Pontifical Catholique*, Paris 1898-1948.
- CV — *Concillii Vaticani acta, decreta et documenta*, edita a T. Grandérath. *Collectio Lacensis*, tomus VII, Friburgi 1890.
- AEM — *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, editio Achillis Ratti, Pii Papae XI. Acta a sancto Carolo condita. Tomi I et II. Mediolani 1890-2.
- MARTÈNE — *De antiquis Ecclesiae Ritibus*. Citatur editio Venetiis 1783 edita.
- BENEDICTUS XIV — Citatur editio Prati 1839-47 edita, 17 vol.
- MORONI — *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica*. Venezia 1840-61 103 vol.
- ANDRIEU — Michel, *Le Pontifical romain au Moyen-âge*. Tome I : *Le Pontifical romain du XII<sup>e</sup> siècle*, Città del Vaticano, 1938; tome II : *Le Pontifical de la Curie Romaine au XIII<sup>e</sup> siècle*, ibidem 1940; tome III : *Le Pontifical de Guillaume Durand*, ibidem 1941.
- LEROQUAIS — Victor. *Les Pontificaux manuscrits des bibliothèques publiques de France*. Paris 1937. 3 vols. de texte et 1 de planches in 4<sup>o</sup>.
- EL — *Ephemerides liturgicae*. Romae ab anno 1887.

# SIGLA PRO DIAGRAMMATIBUS

1 	2 	3 	4 	5 
6 	7 	8 	9 	10 
11 	12 	13 	14 	15 
16 	17 	18 	19 	20 
21 	22 	23 	24 	25 
26 	27 	28 	29 	30 

## SIGLORUM VALOR

- 1 — Pontifex.
- 2 — Diaconus ministrans.
- 3 — Subdiaconus.
- 4 — Presbyter assistens.
- 5 — Diaconus assistens.
- 6 — Ordinandus.
- 7 — Caeremoniarum magister.
- 8 — Subdiaconus cruciferarius.
- 9 — Acolythus ceroferarius (cum vel sine cereo).
- 10 — Minister de mitra.
- 11 — Minister de baculo.
- 12 — Minister de libro.
- 13 — Minister de scotula.
- 14 — Minister de gremiali et de ampullis.
- 15 — Acolythus thuriferarius.
- 16 — Minister de aqua lustrali.
- 17 — Clericus cum funali.
- 18 — Cantor.
- 19 — Notarius.
- 20 — Familiares episcopi.
- 21 — Archidiaconus.
- 22 — Capellanus assistens.
- 23 — Caudatarius.
- 24 — Claviger.
- 25 — Episcopus seu abbas electus.
- 26 — Episcopus conconsecrator seu abbas assistens.
- 27 — Capellanus electi.
- 28 — Capellanus 1mi. episcopi conconsecratoris seu 1mi. abbatis assistentis.
- 29 — Capellanus 2di. episcopi conconsecratoris seu 1mi. abbatis assistentis.
- 30 — Secretarius electi.

## NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

Paucissimi auctores, data opera, de PR scripserunt, praesertim sub aspectu iuridico-practico.

IOSEPHUS CATALANUS, Oratorii sancti Hieronymi, commentarium ad PR Romae edidit in tomis tribus, 1738-1740; quod quidem opus, ob praeclara merita, iterum edidit Parisiis PROSPER GUERANGER, anno 1851. Ad hodiernum ius liturgicum cognoscendum non semper utile erit.

PIUS MARTINUCCI, apostolicis caeremoniis olim praepositus et Concilii Vaticani caeremoniarius alter, princeps edidit de sacris caeremoniis opus, in quo fere omnes ritus PR practice exponit *Manuale Sacrarum Caeremoniarum*, Romae 1869-1873. Editio 3<sup>a</sup> a Menghini revisa in lucem prodit Romae 1915. Expositio maximae sane auctoritatis, in qua per quindecim annos adlaboravit auctor egregius. Sacri ritus a primo ad ultimum exponuntur, nulla interposita mora, at eorum analysis desideratur; praeterea nec rubricae nec SRC decreta explorantur, et functiones PR ab ipso quodammodo separantur.

LE VAVASSEUR, presbyter Congregationis Sancti Spiritus, eodem fere tempore expositiones edidit aliquorum rituum PR. Generatim sequitur Martinucci. Primus et unicus qui ritus, praesertim consecrationis ecclesiae, exposuit cum divisionibus analyticis, de quo exstat versio lusitana, Ulyssiponi 1886 edita.

ALOISIUS MORETTI recentissime edidit opus cui titulus *De sacris functionibus*, tomi quatuor. Taurini, 1936-39. In 3<sup>o</sup> et 4<sup>o</sup> tomis traduntur ritus fere omnes PR. Auctor agit per dissecationem rituum: primo actiones episcopi, deinde ministrorum; sic ritus consecrationis ecclesiae octies ab initio reasumitur et explanatur. Quaestiones omnes, etiam difficiliore, summario modo solvit, non raro proinde corrigendus. Martinucci facilius digeritur.

IOSEPHUS MANY, presbyter Sancti Sulpicii, tria volumina in lucem Parisiis dedit, ubi frequenter de iure liturgico PR agit: *De locis sacris*, 1904; *De sacra ordinatione*, 1905; *De Missa*, 1906. Opera claritate et praecisione laudanda et revera egregia.

PETRUS CARDINALIS GASPARRI in duobus operibus *De Eucharistia*, Parisiis, 1897 et *De ordinatione*, ibidem, 1900, frequenter de jure PR agit. Editiones tamen post CIC revisae desiderantur, sicut etiam Many. Opera maximae auctoritatis.

PIERRE DE PONIET OSB, Parisiis edidit opus *Le Pontifical Romain, Histoire et commentaire*, tome I, 1930; tome II, 1931. Propterea ad Pontificiam commissionem pro revisione Pontificalis Romani ipso anno 1931 integrandam electus est. Utile opus in sua parte praesertim historica.

¶ Bibliographia specialis suis locis citatur. Vide notam n. 3, p. 3.

**PROLEGOMENA**

**AD ROMANUM PONTIFICALE**

# PROLEGOMENA AD ROMANUM PONTIFICALE

## Caput I

### DE ROMANI PONTIFICALIS DIGNITATE

1 Dignitas et nobilitas Romani Pontificalis desumitur ex ipsa natura sacrorum rituum qui in eo exponuntur; maxima pars etenim functionum quae explanantur cum Sanctissima Eucharistia arctissime coniunguntur.

Ad eam aptius recipiendam fideles sacro chrismate liniuntur; sacramentum ordinis exstat primario ut habeantur sacerdotes, quorum officium est Missae sacrificium offerre; sacrum pallium metropolitae traditur ut episcopum inter et Christi in terris Vicarium, qui Caeli claves habet, nexus appareat; sine unione cum Papa, illicite quisquis Eucharistiam celebraret; benedictio abbatis et abbatissae perfectionem vitae religiosae, sui ipsius praesertim renuntiationem, significat, et est fructus eucharisticae vitae Ecclesiae; virginum velatio et Iesu Christo oblatio certe uti perfecta quaedam participatio eucharistici sacrificii et cum divina victima unio est.

Primus ecclesiae lapis, qui in nomine Christi, totius Ecclesiae lapidis angularis et fundamentalis, ponitur, initium est ritus dedicationis ecclesiae, quae ab incunabulis Christo offertur; ecclesiae consecratio est purificatio atque sanctificatio loci in quo altaria aedificanda erunt; altaria consecrantur quatenus digna esse debent liturgicae oblationis super ipsis peragenda; ecclesia violata reconciliatur, ut denuo in ea Missa offerri possit; consecrantur campanae ut per eas fideles ad sacras *functiones*, inter quas primo loco Missa adnumeranda est, invitentur; calices et sacra supellex ad liturgiam celebrandam primum sanctificantur; imagines Deiparae et sanctorum benedicuntur quatenus ipsa Virgo nobis Eucharistiam donavit et sancti per eandem salvi fuerunt; cruces speciali modo benedicuntur, nam Missa est sacrificii crucis renovatio; coemeteria Deo dicantur quasi perfecta consummatio verborum Christi, qui illos suscitare promisit, qui carnem suam manducant; olea sacra, quae Feria Quinta Maiore solemniter consecrantur, et quibus utitur Ecclesia in sacramentis vel sacramentalibus administrandis, nexum suum cum sacramento ordinis demonstrant, et cum aliis ritibus qui a sacerdotibus administrantur.

Qui sequuntur ritus de ordinibus in synodis vel visitationibus servandis, et cetera huiusmodi, quaeque ad solemnes actus administrationis Ecclesiae se referunt, etiam Eucharistiae coniunguntur, nam ex perfecta ordinatione diversarum partium Ecclesiae nascitur fructuosa receptio Sacramenti et consequens salus animarum.

Il ritus omnes in Romano Pontificali, ex pervetustis Ecclesiae usibus, inde ab aureis saeculis fidei, referuntur, exponuntur, ita ut de illo dicere potuerit Batiffol, cl. m.: *Le Pontifical est le livre liturgique le plus magnifique que nous possédions* <sup>(1)</sup>, et Leroquais: *L'Occident tout entier... a travaillé à cette œuvre grandiose* <sup>(2)</sup>.

## Caput II

### DE OBLIGATIONE ROMANI PONTIFICALIS, DE EDITIONIBUS, DEQUE PARTIBUS EIUS

#### ART. I — DE OBLIGATIONE PONTIFICALIS

2 Constitutione apostolica *Ex quo in Ecclesia Dei*, data die 10 Februarii 1596, Clemens VIII Romanum Pontificale solemnissimo modo approbavit et promulgavit, in universali Ecclesia latina servandum, aliis omnibus pontificalibus abrogatis, sine ulla exceptione. Severissimis

(1) "Le Pontifical est le livre liturgique le plus magnifique que nous possédions. Il nous vient en droite ligne de l'antiquité chrétienne sans avoir subi les restaurations du Missel, du Bréviaire; il est tout entier un témoin des vieux âges. Dans le Pontifical tout est paroles et gestes de l'évêque, et ces paroles et ces gestes expriment les actes les plus solennels de la vie de l'Eglise, ceux auxquels elle a voulu donner la publicité la plus auguste, tel le sacre des évêques, les ordinations, la consécration des églises. Il y a là des mises en scène d'une majesté incomparable et du sens le plus profond. La prière de l'Eglise y parle un langage qui, pour la sobriété, pour la dignité, pour le pathétique, n'a nulle part son égal". Mgr. Batiffol, *Introduction aux Etapes du Sacerdoce de René Dubosq.* Cl. Batiffol speciali amore Pontificale Romanum prosequatur, voluitque super illud studia sua versare. Anno 1911, tempore hebdomadae liturgicae Lovaniensis, plura de Pontificali disseruit, inedita tamen, excepta *Introduction au Pontifical*, apud *Etudes de Liturgie et d'Archéologie chrétienne*, Paris 1919; et paulo ante obitum iterum Tornaci de ordinationibus disseruit, quasi testamentum suum scribens, *Cours et Conférences des semaines liturgiques*, tome VII, Louvain 1929, p. 41.

(2) "...le pontifical n'est ni l'œuvre d'un homme ni l'œuvre d'un jour. C'est une œuvre anonyme à laquelle ont travaillé de nombreux ouvriers presque tous demeurés inconnus, et dont l'achèvement a demandé de longs siècles. C'est une cathédrale bâtie à différentes reprises et qui porte l'empreinte d'époques successives. Elle montre des soubassements mérovingiens, une crypte carolingienne, une nef romane, un chœur gothique, plusieurs chapelles qui datent de la Renaissance, et si l'on mettait à nu ses fondations, on y découvrirait le robuste appareil des anciens constructeurs romains. En réalité le pontifical romain est l'œuvre de quinze siècles de foi et de vie liturgique. L'Occident tout entier: la Rome antique, la Gaule, l'Empire franc, plus tard l'Espagne, l'Empire germanique, la France, la Grande-Bretagne et l'Italie ont travaillé à cette œuvre grandiose". Leroquais, tome I, p. XCIX. Apud Leroquais optime invenies expositum totum ritum ordinationum, episcoporum consecrationis, necnon ecclesiarum dedicationis, modo ipsi proprio, claritate fulgente. Introduction, II, *Histoire du Pontifical*, p. XXXI-C.



verbis usus est Pontifex: " Motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula Pontificalia in hunc usque diem in quibuscumque terrarum orbis partibus impressa et approbata, et quibusvis privilegiis apostolicis munita, et decretis ac clausulis roborata, per praesentes supprimimus et abolemus... eorumque usum interdiciamus " (1).

Verba summi pontificis plenissimum obtinuerunt effectum, et ceterae ecclesiae, etiam eae quae proprio ritu cum Missali et Breviario approbato utebantur, Pontificale Clementis VIII receperunt, suis reiectis (2). Ex his magis apparet auctoritas summa Pontificalis Romani, cum sit unicum in Ecclesia latina ab omnibus adhibendum.

## ART. II — DE EDITIONIBUS PONTIFICALIS

3 Pontificale Romanum iterum editum fuit ab Urbano VIII die 17 Iunii 1644, litteris *Quamvis alias*, demptis mendis et erroribus sed haud immutato textu (3).

(1) Cum Clemens VIII omnes libros rituales functiones pontificales continentes interdixerit, nec fuerint amplius approbati, uno romano excepto, quaeri potest quid sibi velit CIC cum in canone 780 loquatur *de libris pontificalibus* et postea in canone 1002 facit episcopos ordinare secundum ritus in PR *aliisve ritualibus libris ab Ecclesia probatis*. Iuxta Cappello ita loquitur CIC quia exstant in Ecclesia latina alii libri liturgici pro ordinibus conferendis; forsitan in futura editione operis sui eorum nomina patefaciet. *De sacra Ordinatione*, n° 557, I. Ita etiam loquitur A.S. apud periodica cleri *Lumen*, ano III, p. 459. Ulyssiponae 1939. Codex in citatis canonibus Ecclesiam orientalem in mente habere saltem nobis non videtur.

(2) " Il y aurait une intéressante étude à faire, celle des *Pontificalia* que supprime Clément VIII, c'est à savoir les pontificaux imprimés depuis la fin du XV<sup>e</sup> siècle et en usage dans les diverses nations catholiques ". Batiffol, *Introduction au Pontifical Romain*, p. 8.

Ecclesia Bracarenensis, ritus sui studiosissima, suum habebat Pontificale, sancti Gerardi nuncupatum, quod tamen reliquit, et Pontificale Clementis VIII recepit, eoque hactenus utitur. A. de Vasconcellos, *Notas liturgico-bracarenenses*, Opus Dei, 1930-1931; etiam apud *Jahrbuch für Liturgiewissenschaft*, vol. X, p. 237.

Ecclesia Mediolanensis, teste Magistretti, certe inde a finibus saeculi XIV utitur PR, licet in missae celebratione suum habeat ritum, et quidem nobilissimum, cum sit ipse antiquus ritus Romanae Ecclesiae. Apud Mercati *Antiche reliquie liturgiche ambrosiane e romane*, *Studi e testi* 7, p. 7. Roma 1902.

Christiani Syro-Malabarenses PR utuntur in linguam Syriacam verso. Vide Vosté, *Projet d'édition du Pontifical des Syriens Orientaux*. EL, analecta, 1939, p. 3.

(3) De historia et evolutione Romani Pontificalis, deque editionibus Clementi VIII anterioribus, non est hic a nobis agendum. Lectores remittimus ad praeclara opera Michaelis Andrieu *Les Ordines Romani du haut Moyen Age*, Louvain 1931, p. 471 ss., et *Le Pontifical Romain au Moyen Age* (vide sigla). Eruditissimus Victor Leroquais opus edidit nobilissimum cui titulus *Les Pontificaux manuscrits des Bibliothèques publiques de France* (vide sigla). Cum decem vel circiter abhinc annos ad expositionem nostram manus apponeremus, editiones praedecessorum PR, praesertim operis Durandi, enixe desiderabamus. Tandem opera Leroquais et Andrieu ad nos usque venerunt, quasi dona Domini amplissima. Vide Mohlberg, apud EL, 1943, p. 336.

Benedictus XIII, liturgista emeritus, ut functiones difficiles Pontificalis melius fierent, novam editionem typicam publici iuris fecit *cum variis egregiisque figuris*, sed nulla facta in textu mutatione.

Benedictus XIV, liturgista maximus, cum apostolicis litteris *Quam ardenti studio*, datis die 25 Martii 1752, simul vulgavit Pontificale, Rituale et episcoporum Caeremoniale. In hac editione Benedictus XIV quaedam adiunxit, sed fere nihil in textu immutavit.

Ultima editio typica, tempore Leonis XIII facta, et Ratisbonae anno 1888 edita, tantum tantum mutavit et orthographiam meliore forma disposuit, adiectis accentibus <sup>(1)</sup>.

Pius Papa XI, anno 1931, specialem commissionem ad Pontificale romanum reformandum constituit. Consulto tamen commissio putavit editionem antiquam esse iterum typis edendam, quousque tandem aliquando nova parari possit <sup>(2)</sup>.

Perpulchra editio, a Typis Vaticanis anno 1934 excusa, ad exemplar editionis reverendae Camerae Apostolicae anni 1848 facta est <sup>(3)</sup>.

<sup>(1)</sup> Recentiores antistites maximi, ab Urbano VIII ad Pium XI, ne verbum quidem mutatum in Pontificali voluere. Benedictus XIII, volens manus impositionem in ritu confirmationis adiungere, rubricam ad hoc in appendice addidit. Rituale tamen plures mutationes passum est, praesertim in editionibus typicis anni 1913 et anni 1925, posthabita codicum scrutatione.

<sup>(2)</sup> Hac de re scripsit Primus Battistini CM († 1936): "Editio vaticana Pontificalis sine cantu ad normam CIC, recentiorumque Apostolicae Sedis decretorum iam accommodata nondum vulgata est, et nescimus quando id fiet". EL 1934, p. 591. P.B. paravit editionem Ritualis post codicem, prout iam exposuerat quaestionem apud Ephemerides Liturgicas (1922, p. 191; ibidem 1936, p. 98) et postea Pontificale ad normam CIC et iuris hodierni paravit, textu haud immutato.

Dom Quentin OSB, de nova imminente editione certior factus, Pium XI adiit, ab eoque nominationem specialis bipartitae commissionis obtinuit anno 1931, ad editionem criticam Pontificalis Romani parandam. Parti rubricali praecerat Battistini; pars textus sic constituta est: De Puiet, Mohlberg, Pio Santi Cavallieri et Quentin uti relator. Partem rubricalem perpolitam suo tempore commissioni tradidit Battistini; commissio textus aliquas post sessiones ad nihil devenit. Pius XI, de rebus gestis certior iterum factus, iussit ut textus et rubricae prout exstabant iterum typis cuderentur, quod quidem anno 1934 factum est per reeditionem Pontificalis Romani Reverendae Camerae Apostolicae anni 1848.

Uti scitur Dom Quentin († 1941) editionem Martyrologii Romani anni 1922 acerrime impugnavit. Vide hac de re *La correction du Martyrologe Romain* apud *Analecta Bollandiana*, XLII, 1924, 24 p. et *Questions liturgiques et paroissiales*, 1931, p. 86.

<sup>(3)</sup> Fas non est religiosi ordinibus partes Romani Pontificalis in suis libris ritualibus edere, nisi prius constet istas, tum quoad textum tum quoad rubricas et cantum, adamussim cum editione typica PR concordare. Exstant tamen libri rituales monastici cum notabilibus partibus PR annexis, mutatis tamen rubricis pro libitu editorum, quod ipsi Summi Pontifices facere non audent. Sic in Rituali Monastico Congregationis Beuronensis (ed. 2<sup>a</sup> Beuronae 1931) habes ritus benedictionis abbatis, primae tonsurae et ordinum

Concludendum proinde est hanc ultimam editionem eandem esse ac illam quam edidit Clemens VIII, cui uniformitatis amatores gratias quamplurimas referre debent, propterea quod in functionibus Romani Pontificalis uniformitatem sit consequutus, quae quidem pro aliis liturgicis libris adhuc desideratur.

ART. III — DE PARTIBUS PONTIFICALIS

4 Pontificale Romanum, inde ab editione Durandi, in tribus dividitur libris seu partibus.

In 1<sup>o</sup> agitur de personis confirmandis, ordinandis, consecrandis vel benedicendis.

In 2<sup>o</sup> inveniuntur benedictiones et consecrationes ecclesiarum et altarium cum aliis quae ad eucharisticam celebrationem ordinantur, seu de rebus.

In 3<sup>o</sup> habentur ordines diversi in receptionibus, synodis, visitationibus et ceteris hujusmodi servandi; adiunguntur functiones certis per annum diebus celebrandae.

5 *Appendix.* Clemens VIII has tres tantum partes approbavit; sed cum Pontificale vel tradat ritus in plurali numero vel in singulari, et frequenter ordo numericus mutetur, ritus plurimi cum mutatione numerica introducti fuerunt: confirmatio et ordinatio in singulari, episcoporum et altarium consecratio in plurali. Praeterea cum quaedam functiones Ritualis Romani aliquando pontificali ritu fiant, annexae etiam fuerunt more episcoporum proprio; hi ritus, cum quibusdam aliis, in unum volumen venerunt sub titulo *Appendix et Supplementum ad appendicem*. In ritibus confirmationis et ordinationis ac consecrationis episcoporum rubricae quaedam mutatae vel novae apparuere; in ritu consecrationis ecclesiarum et altarium tamen transcribuntur rubricae 2<sup>ae</sup> partis.

Diversae partes appendicis non unam habuerunt originem, nec fuerunt solemniter approbatae sicut Pontificale ipsum. Pars appendicis primum apparuit in editione Benedicti XIII pro confirmatione et ordinatione unius et consecratione plurimorum episcoporum. Ritus pro adultorum Baptismo sumptus fuit ex ordine servando in *Ecclesia Beneventana*, Cesenae 1683, iussu

minorum, nulla de PR facta mentione, et fere omnibus rubricis mutatis; sic ex. gr. in benedictione abbatis praecipitur usus mitrae auriphrygiatae pro assistentibus (p. 46) contra totam traditionem et regulas liturgicas; in conferendis ordinibus minoribus legis: *si abbas celebraturus est pro ordinibus (minoribus) conferendis, sandalia et omnia paramenta pontificalia induere convenit* (p. 156), et agitur de missa lecta, nam intra missam pontificalem solemnem ordines minores conferre licet.

Cardinalis Ursini, postea Benedicti XIII, editus. Aliae in editione Pontificalis reverendae Camerae Apostolicae anni 1848 et 1855 adiectae sunt, et quaedam tantum in editione Ratisbonensi anni 1888, in qua additum est supplementum appendicis. Appendix tamen suam habet auctoritatem cum fuerit a SRC approbata una cum postrema editione typica. Optandum ut in definitiva editione functiones 1<sup>ae</sup> et 2<sup>ae</sup> partium dentur una simul singulari et plurali numero, ut in RR frequenter habetur, et in appendice tantum functiones RR quae ritu pontificali fieri solent aliquando.

### Caput III

#### DE RITIBUS OBSOLETIS ROMANI PONTIFICALIS

**6** Licet Pontificale non sit liber historicus, in eo tamen nonnulli adhuc traduntur ritus non amplius in usu; quidam a plurimis saeculis obsoleti devenerunt, alii tantum recentioribus temporibus, quos omnes breviter intuebimur, eo quod in expositione PR omittuntur.

##### ART. I — IN PRIMA PARTE PONTIFICALIS

**7** I) PROFESSIO MONASTICA. Ante benedictionem abbatis invenies ritum professionis monasticae, cum antiquitus non raro clerici non professi abbates eligerentur, et professionem religiosam, antequam benedicerentur, emittere debebant. Hodie talis abusus eradicatus est, et non nisi monachi solemniter professi in abbates eliguntur; proinde ritus professionis religiosae non amplius locum in PR habet, est enim pars ritualis monastici, et quidem perpulchra. Vide Paladini, De Ritu professionis religiosae in PR, EL 1935, p. 385. Optime tamen de monachorum professione agit Odo Casel OSB, *Die Mönchsweihe, in Jahrbuch für Liturgiewissenschaft*, tomus V, p. 1, *Münster* 1925.

**8** II) BENEDICTIO ABBATIS AUCTORITATE ORDINARIJ. Locorum ordinarij nequeunt amplius propria auctoritate abbates regulares instituere vel benedicere, et quando id faciunt, agunt ex apostolica delegatione; obsolevit proinde formula benedictionis abbatis auctoritate ordinarij, quam tradit PR post benedictionem abbatis auctoritate apostolica. De eadem tamen benedictione agitur, in qua pauca mutantur. Vide notam 6, p. 308.

**9** III) CORONATIO REGIS ET REGINAE. Pontificale tradit ritum pro benedictione et coronatione: 1) Regis solius; 2) Regis una cum regina; 3) Reginae solius; 4) Reginae ut regni dominae; 5) Regis electi in consortem.

Benedictio et coronatio regum seu reginarum, nostris hisce temporibus, obsolevit; nam etiam reges fidelissimi, christianissimi vel catholicissimi, unctionem brachii recipere vel solemniter coronari noluerunt; postremi reges catholici consecrati, fuerunt Brasiliae Imperatores Petrus I, anno 1822, et Petrus II, anno 1841, Flumine Ianuario iuxta ritum PR. Ritus in consecratione regis Hungariae, etiam recentissime servatus, paucis mutatis, in PR legitur. Vide Martène, tom. II, p. 234. In ritu coronationis regum Angliae hodie in usu quaedam habentur e PR excerpta.

In ritu coronationis regis optime expositam invenies doctrinam catholicam de relatione statum inter et Ecclesiam, deque obligationibus regum erga ecclesiasticam potestatem, fons est enim, et non spernendus, catholicae doctrinae.

**10** IV) BENEDICTIO MILITIS. Solebat Ecclesia milites benedicere et solemniter militiae initiare, praesertim cum pro defensione Ecclesiae vel Terrae Sanctae, gladium accipiebant et itinera periculosa arripiebant. Ex illis multi, post vel ante benedictionem, professionem solemnem in uno ex ordinibus regularibus existentibus emittebant, ut sic facilius Deo militarent. Hodie tamen milites non amplius creantur, nec professionem religiosam emittunt, et qui, honoris causa, in ordinibus equestribus admittuntur, benedictionem PR non solent accipere.

#### ART. II — IN SECUNDA PARTE PONTIFICALIS

**11** Obsoleta est sollemnis benedictio capsarum pro reliquiis includendis; eius enim loco habetur alia simplex benedictio in RR, tit. IX, cap. IX, benedictio reservata 8.

Obsolevit etiam benedictio et impositio crucis proficiscentibus in subsidium Terrae Sanctae, et benedictio armorum.

#### ART. III — IN TERTIA PARTE PONTIFICALIS

**12** I) ORDO EXPULSIONIS PAENITENTIUM ET RECONCILIATIONIS EORUM. Usus erat antiquus ut peccatores revera paenitentes, in capite ieiunii sollemni modo ab ecclesia eicerentur, et, facta per quadraginta dies paenitentia, Feria Quinta Maiore solemniter absolverentur. Huiusmodi ritus a pluribus saeculis obsoleti sunt nec ullo modo licet eos iterum introducere; certe e definitiva editione PR delebuntur, nam publica ab ecclesiis expulsio in iure, inter paenitentias quas in foro externo imponi fas est, non adnumeratur. CIC 2312, 2313. Tamen licet ordinariis introitum in ecclesiis peccatoribus interdicere. CIC 2291, n. 2.

**13** II) ORDO SUSPENSIONIS ET RECONCILIATIONIS, DEPOSITIONIS ET RESTITUTIONIS, AC DEGRADATIONIS ORDINUM. Clerici, qui in crimina a iure praevisa incidunt, debent suspendi, deponi vel degradari, ad normam sacrorum canonum.

1) *Suspensio ab ordinibus* est verbalis vel edictalis, et in PR, ad modum exempli, datur formula adhibenda; curiae episcopales tamen solent habere formulas proprias.

2) *Reconciliatio* clerici suspensi, quae a PR vocatur etiam dispensatio, fit verbis vel scriptis; PR tradit formulam reconciliationis ad libitum adhibendam *Quamvis... publice commiseris*. Quam quidem formulam legere solebant episcopi solemniter modo parati ante officia liturgica; obsolevit tamen, et reconciliatio hodie fit tantum instrumento curiae episcopalis, vel etiam verbalis sufficit.

3) *Depositio ordinum* fieri debet scriptis instrumentis curiae episcopalis. PR tradit formulam *Quia nobis evidenter*, ad libitum adhibendam.

4) *Restitutio ordinum* fieri solet per publicum instrumentum curiae tantum. PR tradit ordinem pro restitutione reali ordinum clericis depositis, quae ritibus sequentibus constat.

Episcopus paratus amictu, stola et pluviali coloris temporis, cum mitra simplici et baculo, sedens ad faldistorium, habet ante se, flexis genibus, clericum depositum, habitu talari nigro vestitum, sine vestibus sacris.

Surgit episcopus, sine mitra et baculo, et recitat versus et orationem *Deus, qui in sanctis habitas*. Tunc sedet pontifex et, accepta mitra, capiti clerici manum dexteram imponit dicens *In nomine Domini*. Deinde dicit, retenta manu dextera super caput clerici, formulam *Ego, licet peccator*, de qua habentur quatuor variationes prout clericus erit in minoribus ordinibus, in subdiaconatu, in diaconatu, vel in presbyteratu ordinatus. Demum sedens cum mitra ei dat benedictionem simplicem; denique clericus manum episcopi osculatur, discedit, et episcopus vestes sacras deponit.

Semper licet episcopis ordines clericis depositis iuxta modum superius traditum restituere, sed generatim modus realis obsolevit et ordines restituntur modo tantum edictali; praeterea sollemnis restitutio supponit solemnem depositionem, quae non est in usu.

5) *Degradatio ab ordinibus* est depositionis consummatio, quam supponit, et reductio clerici ad statum laicalem, poena proinde maxima. Degradatio esse potest verbalis vel edictalis, seu publico instrumento facta, et hic est modus receptus pro poena quae rarissime imponitur; sed degradatio esse potest realis, si clericus de facto degradetur ritu in PR descripto. Degradatio realis tamen multis ab hinc annis obsoleta evasit, et nunquam fit, nec fieri potest, cum clerici criminosi minime legibus Ecclesiae se subiciunt; praeterea

degradatio realis supponit traditionem criminosi in manus civilis potestatis. Quo tamen non obstante, de ea loquitur CIC, non est proinde prohibita, licet revera sit obsoleta. CIC 2305 § 3.

¶ Canonicae leges, quas tradit PR in hoc titulo, ante codicis piani promulgationem mutatae vel obsoletae iam erant, et post codicem vim legis non habent, propterea totum capitulum inter ritus non amplius in usu enumeravimus.

**14** III) ORDO EXCOMMUNICANDI ET ABSOLVENDI. PR in hoc titulo ritus qui sequuntur tradit.

1) *Formula confessionis* ab illo qui in excommunicationem minorem incurrit per participationem cum persona excommunicata; et subinde dat *formulam absolutionis* a sacerdote impertiendam. Utraque, prout habentur, sunt obsoletae; nam codex pianus nullam facit distinctionem inter excommunicationem maiorem et minorem, sed tantum inter excommunicatum vitandum et tolerandum.

2) *Formula excommunicationis maioris*, quae in CIC vitanda dicitur et scriptis promulgari debet, datur per modum exempli, sed episcopus aliis verbis uti potest, cum nulla forma sit a CIC praescripta. PR supponit episcopum ipsum solemniter sententiam suam legendo in ecclesia publici iuris facere, sed pro excommunicatis vitandis tantum, et in casibus proinde omnino extraordinariis, qui vix aderunt.

3) *Absolutio ab excommunicatione*. Functio ad fores ecclesiae peragitur. Paenitens ad singulos versus psalmorum 50 et 66 virga a pontifice percutitur. Facta absolutione, paenitens in ecclesiam introducit. Prout exstat in PR ordo huiusmodi obsolevit, sed forma mitigata habetur in RR, tit. IV, cap. III.

4) *Anathematizatio* seu sollemnis excommunicatio, quae fit ab episcopo ritu uti sequitur:

Episcopus paratus amictu, stola et pluviali violacei coloris, ac mitra simplici, cum candela accensa in manu dextera, sedet in faldistorio ante altare, vel consulto ante fores ecclesiae; sacerdotes duodecim, induti superpelliceis cum candelis ardentibus in manu dextera, stabunt utrimque; excommunicandus non supponitur adesse.

Episcopus ipse legit formulam anathematizationis *Quia N. diabolo suadente* etc., et in fine sacerdotes praesentes dicunt ter *Fiat*. Deinde episcopus et duodecim sacerdotes candelas ardentis in terram proiciunt. Episcopus, depositis sacris vestibus, discedit in pace, et anathema ad valvulas ecclesiarum dioecesis apponitur.

Anathematizatio PR iam a multis annis obsolevit, de ea tamen loquitur codex pianus, propterea eius usus non est prohibitus. CIC 2257 § 2.

5) *Absolutio anathematizationis*. Ordo idem est ac ille pro absolutione excommunicati praescriptus, sed loco psalmorum 50 et 66, dicuntur septem psalmi poenitentiales, et, post reductionem absoluti in ecclesia, pontifex, ante altare et ad ipsum versus, recitat orationes *Maiestatem tuam*, et *Deus...*, *qui secundum multitudinem*. Haec ultima oratio habetur etiam in officio agonizantium.

Absolutio sollemnis, cum supponat solemnem anathematizationem obsolevit.

¶ Leges canonicae huius tituli PR, quae a rubricis distingui debent, quaeque ordines in poenis imponendis vel absolvendis tradunt, vim legis iam ante CIC non amplius habebant.

**15** IV) ORDO AD RECONCILIANDUM APOSTATAM, SCHISMATICUM VEL HAERETICUM. Ritus in praecedentibus titulis expositi supponunt in clerico vel laico absolvendo fidem orthodoxam; alio modo procedendum erat quando agebatur de fidelibus a fide apostatis, praesertim si in haeresi fuerant baptizati.

Ordo PR ad apostatas, schismaticos, vel haereticos reconciliandos, quoniam antiquiores Ecclesiae adnumerandus est, sequentibus componitur partibus:

1) Prima interrogatio circa fidem. 2) Exorcismus praeparatorius. 3) Obsignatio absolvendi. 4) Ingressus in ecclesiam, cum duabus collectis. 5) Secunda interrogatio circa fidem. 6) Formula absolutionis *Domine Deus omnipotens*, quae in sacramentario gelasiano invenitur, et quae fere identica est cum oratione Confirmationis, antiquitus enim absolutio ab haeresi habebatur uti receptio Spiritus Sancti. Vide De Puniet, *Le Pontifical*, vol. 2, p. 312. 7) Ultimo absolvendus fidem suam Ecclesiae sacramento obstringebat.

Ritus PR obsolevit, et hodierno iure absolvendus primo facit professionem fidei, deinde absolvitur in foro externo ab excommunicatione, ritu praescripto a RR, tit. IV, cap. III, si revera sit excommunicationis sententia plexus, vel ad cautelam. Datur etiam formula recentior, quae habetur in collectanea SCFP, n. 1689, in appendice ad Concilium Plenarium Americae Latinae, p. 764, et alibi; agitur tamen de formula mitigata RR pro protestantibus et aliis in haeresi baptizatis.

Episcopus volens apostatam vel haereticum solemniori modo personaliter ab excommunicatione absolvere, id facit paratus amictu, stola et pluviali violacei coloris, ac mitra simplici. Sedens ad faldistorium in medio suppedaneo recipit professionem fidei absolvendi, deinde procedit ad absolutionem



censurae ritu in PR descripto, ubi de absolutione excommunicationis maioris, vel sequitur ritum eundem prout in RR habetur; ei assistent capellani duo cum superpelliceis et ministri insignium.

**16** V) DE SCRUTINIO SEROTINO. Antiqui metropolitae, qui propria auctoritate suos suffraganeos consecrabant, solebant pridie consecrationem, vespertinis horis, solemniter recipere petitionem capituli ecclesiae viduatae, a quo electus metropolitae praesentabatur.

Ordo erat sequens: 1) Petitio archipresbyteri ecclesiae viduatae, qui, postquam ter petierat benedictionem metropolitae, ei praesentabat electionem capituli suae ecclesiae, cum petitione consecrationis. 2) Praesentatio electi, qui, postquam ter petierat benedictionem, postulabat in episcopum consecrari. 3) Super electo in plano prostrato, fiebat statio cum antiphona *Confirma hoc Deus* et ps. 67, versibus et collectis, deinde metropolita dabat solemnem benedictionem.

Die sequenti ordo consecrationis quibusdam modificationibus subiciebatur: Facta postulatione a seniore episcopo, metropolita quaerebat utrum electus esset dignus; interrogatio mandatum apostolicum excludens. Deinde fiebat examen *Antiqua sanctorum patrum* usque ad osculum manus metropolitae inclusive. Electus postea iusiurandum fidelitatis metropolitae emittebat. Cetera fiebant de more, et in fine metropolita tradebat electo *Edictum de scrinio nostro*, in quo de obligationibus et virtutibus episcoporum agebatur.

Scrutinium vespertinum una cum potestate metropolitaram obsolevit, tamen permansit in PR quasi reliquia potestatis eorum. Andrieu tome II, p. 351; tome III, p. 374.

**17** VI) DE BARBA TONDENDA ET DE OFFICIO PSALMISTATUS. De ritu servando quando primo clericorum barbae tondebantur, plura invenies apud Catalanum in fine tertii voluminis sui commentarii; obsolevit tamen. PR tradit formulam pro nominatione et degradatione cantoris, obsoletam etiam; officium tamen psalmistatus juxta PR dari potest cum ordinatione neoclerici, sicut faciebat Durandus. Andrieu tome III, p. 335.

#### Caput IV

#### REGULAE GENERALES SERVANDAE

**18** Licet suis in locis dentur regulae in functionibus PR servandae, tamen sunt quaedam regulae generales quae, brevitatis gratia, non semper repetuntur, et, cum sint semper servandae, ad maiorem claritatem coaptatas tradere decet.

## 19 PONTIFEX

**Accessus et discessus** 1. Ad functiones PR obeundas pontifex, habitu praelatio indutus (ut in cap. V), ad ecclesiam accedit iuxta regulas in Caeremoniali traditas.

Si sit loci ordinarius, vel praelatus superioris gradus, cappa pontificali indutus, ad ianuam ecclesiae recipitur a clero, et, accepto hyssopo a digniore vel a rectore ecclesiae, seipsum primo, deinde clerum aspergit; vel, si functio sit privata et pontifex non sit cum cappa, recipitur a rectore ecclesiae et a caeremoniario tantum, vel a duobus canonicis si sit in ecclesia sua. D 3828, III.

Si episcopus non sit loci ordinarius, recipitur tantum a rectore ecclesiae, et a caeremoniario, qui ei porrigit aspersionem tangendum ut se signet cum aqua lustrali.

Pontifex, cum bireto in manu, ad altare SSmi. Sacramenti procedit ipse solus, praecuntibus familiaribus et sequentibus aliis de clero, ubi, facta in plano genuflexione, aliquantulum flexis genibus orat; deinde ad locum functionis adit, ubi facit reverentiam cruci altaris, si ad altare facienda est functio; et, facta iterum brevi oratione flexis genibus ad faldistorium, ibidem sedet, vel, si functio in sacrario vel alibi incipienda est, facta reverentia cruci sacrarii, ad sedem sibi paratam accedit.

Pontifex ordine quo ad ecclesiam accessit, ab ea recedit, sine aspersione tamen.

**Lotio manuum et vestitio** 2. Pontifex quando missam erit celebraturus, vel sacramenta confirmationis vel baptismatis administraturus, manus ante vestitionem lavat; pro aliis functionibus lotio manuum a PR non praescribitur, nec est proinde facienda<sup>(1)</sup>. Lotio manuum tamen semper fit in fine functionum quando sacra olea inservierunt.

Nullae habentur regulae propriae pro vestitione episcopi in functionibus PR, caeremoniarii proinde procedent solito more.

De cruce pectorali nulla fit mentio in sequentibus titulis, sed eam deponit episcopus cum deponit vestes chorales et ante stolam accipit.

**Mitra et baculus** 3. Mitra et baculus sunt correlativa (CE I, 17, 8), proinde cum deponitur mitra, deponitur etiam baculus et vicissim; quae quidem regula quasdam patitur exceptiones, ut suis locis dicetur, praesertim cum fieri debent ritus qui manus expeditas requirunt.

<sup>(1)</sup> Iuxta MM episcopus manus lavat ante vestitionem cum consecraturus est ecclesias, altaria et campanas, non autem ante ceteros ritus; forsitan quia in illis unctiones facere debet, sequimur tamen PR et LVH.

Pro regula habetur ut episcopus cum benedicit, consecrat, ordinat, mitram in capite teneat, quam deponit tantum cum orationes ad Deum dirigit, et in aliis casibus specialibus <sup>(1)</sup>. Vide n. 36, 37, 38 infra.

**Positio manuum** 4. "In orationibus omnium benedictionum (pontifex) stabit semper iunctis manibus" (rubrica MR in feria 4<sup>a</sup> cinerum), quae regula in omnibus orationibus et invocationibus servari debet.

Cum pontifex baculum sustinet sinistra, dextera pectori apposita semper erit.

Cum dicit praefationes, manus extensas ante pectus habebit pontifex usque ad conclusionem exclusive <sup>(2)</sup>.

**Tenor vocis** 5. Quando officia fiunt in cantu, episcopus cantat non solum praefationes, si quae sint, sed etiam orationes seu collectas omnes et invocationes quas stans dicit, intonationes quae ipsi competunt, benedictiones finales, et quaedam alia suis locis notanda.

Quando officia fiunt sine cantu, orationes omnes ac invocationes seu praefationes et finales benedictiones recitantur elata voce sine cantu.

Benedictiones elementorum quae ritibus inserviunt, ut aquarum sacrarum vel cimenti, fiunt clara voce sine cantu, etiamsi officium sit cum cantu, juxta regulam ab Antiphonali diurno statutam (ubi de tonis orationum) pro benedictione ignis et cerei in Vigilia Paschali.

Exhortationes et instructiones, quas episcopus sedens dicit, dicuntur elata voce sine cantu.

(1) "Quoniam status Pontificis sacra tractantis pro qualitate rerum variatur, raroque pontificales libri inter se concordant... nos, re cum peritis mature discussa, convenire arbitrati sumus: ut cum Pontifex ordinandum monet, sive caracterem imprimit, aut ordinum insignia sive instrumenta tradit: sedeat infulatus. Cum vero populum alloquitur sive circumstantes hortatur ad simul orandum, tunc sine mitra stans supplex orat. Hunc vero ordinem per totum librum (Pontificale) servari debere censuimus quoniam rationi quadrare visum fuit". Ex epistola Augustini Piccolomini ad Innocentium VIII. Secunda pars tamen immutata fuit, nam cum populum alloquitur pontifex sedet infulatus; cum circumstantes hortatur ad simul orandum (*Oremus, fratres carissimi* vel similia) stat infulatus. Aliis verbis, episcopus mitram deponit solummodo quando ad Deum supplex orat. Mitrae retentio flexis genibus ad litanias exceptio est regulae generalis, forsitan ex eo quod, magna ex parte, invocationes ad sanctos diriguntur et quia in processionibus mitra ad litanias non deponitur, ratio quaedam paritatis. Praeterea episcopus stans manus diaconis, presbyteris vel episcopis seu abbatibus imponit; tamen cetera sacramenta, ex privilegio ordinis episcopalis, sedens ministrat.

(2) Minime decet pontificem in solemnibus functionibus parvum pontificale in manibus gestare, loco voluminis in folio vel saltem in 4<sup>o</sup>, quod a ministro tenetur. Pro commoditate in functionibus obeundis magis commendatur editio Pustet in septem volumina in folio, ita ut ad altare pontifex habeat tantum ritum diei et ita minus fatigatur libriger. Ibi etiam in musicis notis ea sola ponuntur quae ab episcopo cani debent.

Formulae ordinationum, vestitionum, benedictionum, consecrationum, aspersionum, unctionum, dicuntur semper clara voce sine cantu, ita ut a ministris audiri possint, cauto tamen ne turbetur cantus scholae, qui generatim unctiones aliosve ritus comitatur.

Tonus in orationibus, benedictionibus et invocationibus adhibendus est semper simplex seu ferialis, cum tonus *solemnis* missae et officio reservetur; item in praefationibus tonus simplex semper adhibebitur ut in PR notatur.

Tonus simplex orationum fit recta voce a principio ad finem, sustentando tenorem, ubi alias fieret metrum et flexa, et in fine; si tamen clausula sit minor, id est, *Per Christum* (vel *eundem Christum*) *Dominum nostrum* vel *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum*, fit punctum per semiditonus in fine orationis et in fine conclusionis (fa-re).

Licet etiam in orationibus adhibere tonum simplicem qui ad libitum vocatur, et in Antiphonali diurno habetur; sed quando praecedit monitio *Flectamus genua* tonus *solemnis* ad libitum erit adhibendus loco simplicis ad libitum.

### Reverentiae

6. Inclinatorio capitis ab episcopo facienda ad nomen *Iesu* et ad *Oremus* in principio orationum, fit semper versus crucem hastatam, si functio non sit ad altare; ad altare vero fit versus crucem eius.

### Candela

7. Pontifex ius semper habet utendi candela, nisi adsit praelatus superioris gradus.

### Familiares

8. Episcopum, sacros ritus PR celebraturum, sui familiares concomitabuntur, qui, si sint ecclesiastici, utentur habitu et cappa talari, si vero sint laici, habitu formali et cappa. Crucifer et caudatarius metropolitae, quoties ipse sacras induit vestes, cappam seu *crociam* deponunt, et induunt superpelliceum, quod facit caudatarius dioecesani. CE I, 15, 2.

## 20 SACRI MINISTRI

### Quando adhibentur

1. Sacri ministri inserviunt functionibus quae intra missarum solemnities fiunt, et etiam illis quae fiunt solemniter cum cantu extra missarum solemnities, ut suis locis dicitur.

### Vestes

2. Si functiones fiunt intra missarum solemnities regulae vestium sunt eadem ac pro missa.

Si benedictiones seu consecrationes fiunt extra missarum solemnities sacri ministri inserviunt cum amictu, alba et cingulo, diaconus etiam cum stola diaconali concolori pontificis, quae quidem vestitio vocatur *in albis*.

Dalmatica et tunica, iuxta pervetustam regulam, adhibentur tantum in functionibus quae sunt potius solemnitatis quam ministracionis, uti coronatio imaginis Deiparae.

**Ministratio** 3. Ipsi directe pontifici inserviunt, nec unquam ab eo separantur, nisi ad thronum quando diaconi assistentes adstant.

In ordinationibus, benedictionibus et consecrationibus semper ministrant pontifici, et nunquam diaconi assistentes throni. CE I, 2, 8.

Diaconus, ad altare vel ad faldistorium, mitram et gremiale imponit et aufert; manutergium tradit et accipit, sicut etiam hyssopum, thuribulum et cochlear incensi.

Diaconus, vel alius, cum tradit pontifici instrumenta caeremoniarum, nimirum: hyssopum, cochlear, thuribulum, sculprum, forfices, consueta adhibebit oscula; sine oculis tamen tradit et accipit res aliis tradendas, vel ab aliis acceptas, uti instrumenta ordinationis, candelas vel similia.

Cum pontifex stat vel ambulat, sacri ministri oras pluviialis eius hinc inde tenebunt.

Stantes semper ministrant; sedere poterunt dum fiunt praedicationes vel fit intervallum inter ritus.

Bireta deponunt cum actu pontifici inserviunt, vel etiam mitram, si de iure ea utantur.

Quando diaconi assistentes throni absunt, sive quia desiderantur, sive quia celebrans eorum assistentia a iure non gaudeat, sacri ministri etiam ad thronum inservient, si functio ibidem fiat.

**Quinam sint** 4. Si rei sacrae praeses sit SRE cardinalis, sacri ministri in aliqua ecclesiastica dignitate sint constituti. D 4284, II, 3. Si vero sit loci ordinarius in ecclesia sua sacri ministri canonici sunt; quod etiam servabitur, quantum fieri poterit, in civitate episcopali cum suis suburbiis (CIC 412 § 1) et laudabiliter in tota dioecesi, si adsint canonici.

## 21 PRESBYTER ET DIACONI ASSISTENTES

**Quando adhibentur** 1. Inserviunt functionibus quae fiunt intra missarum solemnias, iuxta regulas pro missa solenni statutas.

Tempore ordinationum, benedictionum et consecrationum ad altare, loca sua sumunt in choro, vel, si non aderit chorus, ad scamnum extra altare, ne caeremonias intercludant, cauto tamen quod ad scamnum 1º loco sedet presbyter, 2º loco 1us. diaconus, 3º loco 2us. diaconus, et non presbyter in medio quasi esset ipse celebrans.

In missis in quibus clerici sunt ordinandi vel olea sacra conficienda, archidiaconus fungitur officio presbyteri assistentis; vel si in ecclesia cathedrali non exstat capitulum canonicorum vel dignitas archidiaconi, presbyter assistens eius explet vices. Vide notam I, p. 71.

**Quinam sint** 2. Vide regulas pro sacris ministris datas, n. 20, 4.

## 22 CAPELLANI ASSISTENTES

**Quid faciunt** 1. In functionibus PR in quibus sacri ministri non inserviunt, loco ipsorum pontifici ministrant capellani assistentes duo, superpelliceis induti.

Ipsi faciunt quod facerent sacri ministri; lus. mitram et gremiale imponit et aufert (vide notam I, p. 145), thuribulum, naviculam, hyssopum, aliaque pontifici cum suetis osculis tradit, veluti diaconus; ambo vestes sacras episcopo imponunt seu potius Imus, adiuvante 2°.

Capellani nunquam sedent, sed stantes utrimque prope pontificem ei ministrant.

**Quinam sint** 2. In functionibus pontificalibus loci ordinarii in ecclesia cathedrali capellani canonici sunt; quod laudabiliter servabitur etiam in ecclesiis civitatis episcopalis cum suis suburbiis. CIC 412 § 1 (1).

Si functio fiat publice a SRE cardinali, capellani sint in dignitate constituti vel canonici ecclesiae cathedralis. D 4284, II, 3.

**Vestes** 3. Capellani canonici in sua dioecesi vel praelati superpelliceum super rochetum assument si eius usu gaudeant, vel superpelliceum tantum, deposita cappa, palliolo humerali vel manteleto, quae sunt vestes chorales et non ministrationis. DD 3700, II, 3804, I. Bireto nunquam utuntur, nisi in processionibus extra ecclesiam.

(1) Canonicos teneri fungi officio sacrorum ministrorum vel assistentium throni quoties episcopus loci ordinarius solemniter celebrat ad functiones PR obeundas in sua ecclesia, omnium una est sententia; et etiam in ecclesiis civitatis episcopalis et suburbi, dummodo, iudicio episcopi, servitium ecclesiae cathedralis non patiatur detrimentum. CIC 412 § 1.

Pro functionibus PR in quibus sacri ministri non inserviunt, sed tantum capellani, hi etiam canonici sunt, iisdem conditionibus supra enumeratis; dicit enim CIC (ibidem)... *Missam celebranti aut alia pontificalia exercenti*, proinde ceteras functiones PR quae fiunt ritu pontificali inclusit, id est, cum mitra et baculo, vel saltem cum mitra, licet ministri non adhibeantur.

Functionibus pontificalibus extra civitatem episcopalem duo canonici episcopo inservire poterunt ex vi § 2 canonis 412. Sed laudabiliter inservient canonici quando adhiberi poterunt, vel praesentes aderunt, etiam extra civitatem episcopalem, pro functionibus pontificalibus; ritibus non pontificalibus inservient familiares episcopi. Quae omnia declarationibus S. C. Concilii diei 9 Februarii 1924 confirmantur. AAS 1925, p. 245.

## 23 CAEREMONIARUM MAGISTRI.

**Quot** 1. Pro functionibus maioribus duo aderunt caeremoniarii, Ius qui totam actionem moderatur, quique curam specialem pontificis cum suis ministris habebit; 2us, qui agit secundum determinationes primi, et curam habebit ministrorum inferiorum. Aliquando etiam plusquam duo aderunt ut suis locis dicetur. Omnino necessarium est ut invicem convenient circa modum agendi, ne oriatur confusio.

**Quid faciunt** 2. In sequentibus capitulis fere nunquam eorum locus determinatur. Ius prope episcopum, sed non ante eum, stabit; 2us. se sistet ubi convenientius iuxta locorum adiuncta. Ius. locum vel functionem diaconi ne assumat, nam diaconus est qui ministrat.

Caeremoniarii assidue legant CE (I, 5) de dignitate sui officii et de eiusdem reddenda ratione, nam, si ritus male fiunt, culpa ipsis fere semper imputabitur.

**Praeparatio rituum** 3. Perfecta rituum exsecutio, praesertim maiorum PR, magna ex parte ab eorum praeparatione pendet; quod si res bene et tempestive praeparatae non fuerint, functio certe male evolvetur, quae quidem praeparatio ad caeremoniarios praesertim spectat.

Eorum munus est ministros maiores et inferiores de officio ab unoquoque obeundo tempestive docendi.

**Vestes** 4. Caeremoniarii vestes chorales, uno superpelliceo excepto, non adhibent, sed nec bireto utuntur et semper stantes munus suum exercent.

## 24 MINISTRI INFERIORES

**Quot** 1. Ad functiones, praesertim difficiliore, bene peragendas omnino necessarium est ut ministri inferiores tot sint quot adesse oportet, nec plus nec minus; excessus ministrorum sacrorum rituum exsecutionem nimis perturbat.

Si ritus a cardinali SRE peragendus sit, ministri inferiores, quantum fieri poterit, erunt in minoribus ordinibus constituti. D 4284, II, 3 <sup>(1)</sup>.

<sup>(1)</sup> Nonnulli putant pueros qui functionibus liturgicis inserviunt regulis liturgicis non obstringi, sed falsa propositio, nam pueri loca clericorum sumunt, functiones clericorum proprias exercent, per fictionem iuris clerici sunt, leges liturgicas proinde servare debent. Curabunt caeremoniarum magistri ut illi qui lunctim inservire debent, ut ministri de mitra et baculo, vel de libro et scotula, vel acolythi, eiusdem altitudinis sint; praeterea necesse est ut pueri tempestive circa functiones exercendas edoceantur.

**Crucifer  
et ceroferarij**

2. In functionibus solemnibus, quae fiunt extra altare, aderit semper crux cum intorticiis, nam non vult Ecclesia ut ritus solemnes sine cruce et luminaribus celebrentur. Crucifer cum ceroferariis unum efficiunt corpus, nec unquam ab invicem separantur.

Locus crucis, si episcopus extra altare genua flectit ad faldistorium, vel stans recitat orationes, est ante eum, nunquam retro post.

Quando pontifex ambulat per loca, aspergens vel alia faciens, imago Iesu erit tergo ad ipsum obversa, nisi sit metropolita.

Tempore unctionum vel aliorum rituum, crux aderit ubi melius conveniat, juxta locorum adiuncta, consulto ad sinistram episcopi, ne caeremonias vel visionem populi, qui ritus sequitur, impediat.

Candelabra cum cereis loco intorticiorum in functionibus 2<sup>ae</sup> partis PR non sunt adhibenda.

Crucem ferre functio est subdiaconi, qui ad hoc adhibebitur si aderit, praesertim intra missarum solemnina.

Si functioni praest metropolita eius crux et non alia inservit; cauto tamen quod crucifer superpelliceum induit cum metropolita sacras capit vestes. D 1145, 2.

Crucifer cum ceroferariis nunquam flectunt genua, nec se signant, nec caput inclinant, sed quasi immobiles permanent.

Qui a sinistra crucis fert intorticium, illud sinistra manu portat, dextera pectori apposita; qui a dextris, dextera fert intorticium, sinistra pectori apposita.

**Ministri  
Insignium**

3. In functionibus pontificalibus aderunt semper quatuor clerici pro insignibus, videlicet baculo, mitra, pontificali, et candela; duo vel tres tantum quando baculus vel candela non adhibeantur.

Si functiones fiunt ad thronum intra missarum solemnina, ministri insignium utuntur pluvialibus super superpellicea et qui de mitra et baculo accipiunt vela serica, sub pluvialibus.

Ministri de libro et scotula stantes episcopo inserviunt, nisi necessitas expostulet ut genua flectant; si tamen celebret ordinarius vel praelatus superioris gradus, ministri flectent genua quando praelatus sedens ad thronum vel ad faldistorium legit; ab invicem nunquam separantur; in processionibus minister de libro ibit a dextris et minister de candela a sinistris; ad thronum et ad faldistorium dum episcopus legit, minister de candela stabit a sinistris libriferi, id est, a dextris episcopi (CE I, 20, 1), ita ut lux candelae super librum luceat, nisi, ex commoditate episcopi vel loci, aliud expostuletur.



Minister de libro semper cum libro clauso genuflectit vel reverentiam facit episcopo. Episcopo ostendere quid legere debeat officium est diaconi vel caeremoniarii, minime librigeri, qui tamen debet librum ad locum legendum aperire.

Ministri de mitra et baculo in processionibus procedunt ante ministros de libro et scotula; qui de mitra a dextris et qui de baculo a sinistris; ad altare minister de baculo stabit a latere evangelii et minister de mitra a latere epistolae, sed inverso ordine quando pontifex sedet ad faldistorium.

Qui de mitra illam tenebit cum vittis ad seipsum versis (CE I, II, 6), et se sistit prope diaconum vel Ium. capellanum cum episcopus mitram accipere vel deponere debeat; ad thronum vero prope Ium diaconum assistentem quoties episcopus mitram accipere debeat, et prope 2um quando erit deponenda.

Minister de baculo illum directe episcopo tradit cum extremitate ad seipsum versa, osculatur prius baculum deinde manum episcopi, genuflectens unico genu, si pontifex ius habet ad genuflexionem; cum vero accipit baculum eodem ordine procedit, inversa tamen osculorum ordine; baculum tenens, extremitatem eius ad extra habebit versam, et baculum semper velo tenebit (1).

**Ministri thuribuli et aquarum** 4. In functionibus in quibus fit thurificatio, aderit clericus thuriferarius, qui etiam naviculam portat, excluso alio; thuribulum in manu sinistra habebit ante benedictionem incensi, et in dextera post eam.

Si aspersiones sint faciendae, clericus aderit pro vasculo aquae lustralis vel gregorianae.

**Clerici duo de abaco** 5. Etiam in functionibus quae fiunt extra missarum solemniam aderunt clerici duo ad abacum seu acolythi. Si unctiones sint faciendae, Ius curam sacrorum oleorum habebit et 2us gossipii ad illas abstergendas.

Lotionem manuum episcopo ministrant, nisi ad hoc adsint familiares, sicut decet. Praeterea faciunt cetera omnia quae suis locis habentur. Si olea sacra adhibeantur expedit ut primus sit in subdiaconatus ordine constitutus, cum subdiaconorum officium est cura oleorum.

**25 CANTORES** in functionibus PR partem magni momenti habent in sacris obeundis ritibus et adstabunt semper habitu talari et superpelliceo induti.

(1) Iuxta CE (I, II, 5) minister de baculo illum manu dextera cottae extremitate cooperta tenebit (id hodie fieri nequit), et minister de mitra non utitur velo si sit pluviali indutus (quia tenet mitram cum pluviali?). Ibidem n° 6. Hodie vela serica a ministris de mitra et baculo, cum vel sine pluviali, adhibentur.

Moderator cantus videbit ut partes cantus integre cantentur, nulla omissa, neve functiones propter cantum patiantur moram et attentus erit caeremoniario primo, ne cantus incipientur vel finiantur ante vel post tempus proprium.

Cantores stantes cantant, sed genua flectunt ad litanias (CE II, 27, 19) et ad versum *Veni, Sancte Spiritus* vel *Veni, Creator* cum toto clero.

Advertant cantores:

1) Litaniae, inde ab initio, non duplicantur. Duplicatio enim *Kyrie eleison* et *Christe audi nos* a rubricis sive PR sive RR non praescribitur, licet de ea fiat mentio in appendice Antiphonalis diurni.

2) Iuxta decretum SRC, die 22 Martii 1922 datum (sed in appendice collectionis authenticae omissum), in litiis sanctorum, post invocationem *Ut cuncto populo*, addenda est alia *Ut omnes errantes* etc. uti in RR, tit. VI, cap. III et tit. X, cap. IV, habetur.

3) In cantu hymni *Veni, Creator* doxologiam nunquam mutabunt. D 4036.

**26** CHORUS seu clerus assistens unum efficit corpus, ab episcopo cum inservientibus seiunctum, nec ritibus se intromisceat, secus oritur confusio.

Intra missarum solemnium regulas pro missa statutas observet.

Extra missam, vel tempore ordinationum, benedictionum, consecrationum, exemplum a pontifice sumit in sedendo, stando, genuflectendo.

**27** REVERENTIAE ET GENUFLEXIONES. Ad *Gloria Patri* vel ad nomen *Iesu* caput ad crucem altaris inclinant omnes, vel, si sint extra ambitum altaris, ad crucem hastatam. Cum ab episcopo cantatur *Oremus* ipse solus caput inclinat.

Genuflexio facienda est cruci altaris tantum, et intra functiones quae ad altare fiunt; cruci hastatae, vel sacrarii seu reliquiarum aulae, fit tantum capitis inclinatio ab omnibus, licet de illa specialis mentio in sequentibus capitulis nec semper habeatur. D 2515, 7.

Si officium fit a loci ordinario, metropolitano, apostolico in loco nuntio, SRE cardinali, clerici qui ante eum transeunt quando sedet vel stat ad thronum vel ad faldistorium, vel coram eo pro aliqua caeremonia se sistunt, genuflectunt; et omnes, exceptis canonicis ecclesiae cathedralis in sua dioecesi vel praelatis, genua flectunt ad lotionem manuum. CE II, 8, 10.

Aliis praelatis clerici stantes ministrant, et inclinationem profundam faciunt cum ante illos transeunt, vel ad eos accedunt, aut ab eis recedunt.

**28** SACRAMENTUM ab altari in quo functiones pontificales erunt peragenda (si aderit) amovebitur, ne pontifex teneatur tergum ad illud vertere et ne ordo rituum turbetur, qui facilius sine Sacramento evolvuntur. CE I, 12, 8.

Multo minus licet functiones PR facere coram Sacramento exposito, quaecumque sint illae, et usus contrarius est abusus eradicandus.

**29** PRAELATUS SUPERIORIS GRADUS est metropolita in dioecesis suffraganeis, nuntius seu delegatus apostolicus in loco suae missionis, SRE cardinalis ubique. Vel etiam loci ordinarius seu metropolita quando coram ipsis officium facit episcopus titularis seu extraneus.

In functionibus quae in sequentibus libris traduntur, semper supponitur nullus adesse praelatus loci ordinario vel metropolitae superior, prout ab uno vel ab alio fiant functiones; ad rem enim decet citare monitum CE (I, 4, 5): " Ut autem episcopus commodius sua munia episcopalia exercere valeat, puta consecrare, ordinare, conficere oleum sanctum, et similia facere, ex urbanitate, legatus seu cardinalis, nuntius, aut metropolitanus in civitate praesentes, huiusmodi actibus intervenire non curent; ne ob eorum praesentiam, et dignitatem, vel episcopus a necessariis functionibus episcopalibus abstinere cogatur, vel saltem, interposita mora, et maiori cum difficultate actus praedicti executioni demandentur "

Si tamen gravi et exceptionalis de causa, metropolita, nuntius apostolicus, vel SRE cardinalis cum vel sine titulo legati, cappa pontificali indutus, alicui functioni, ut v. g. benedictioni primarii lapidis vel consecrationi ecclesiae insignis, adesse debet, ei parabitur thronus in loco diverso ab illo in quo episcopus officium facit. Metropolita, nuntius, vel etiam cardinalis, habebit assistentiam unius caeremoniarum tantum; si fiat processio procedat solus retro post celebrantem; si cantentur litaniae, vel alia pro quibus genuflectere debet, flectat genua ad genuflexorium, vel ad faldistorium si sit cardinalis, sed a parte evangelii vel prope thronum suum, et non a dextris episcopi celebrantis nec prope ipsum, nec ullo modo se functioni intromisceat, ne episcopus impediatur; in fine benedictionem solemnem et indulgentias impertiet si maluerit. Si celebrans sit loci ordinarius, vel metropolita, salutabitur per reverentiam tantum.

In functionibus PR de gradu hierarchico celebrantis non fit mentio, cum functiones omnes eodem modo absolvantur, sive celebrans sit simplex episcopus, sive cardinalis.

**30** THRONUS. I. Solus episcopus loci ordinarius, metropolita in sua provincia, nuntius apostolicus in loco suae legationis extra ecclesiam cathedralem, et SRE cardinalis ubique extra Urbem, usu throni ad functiones 1<sup>ae</sup> partis PR celebrandas gaudent.

2. SCFP solet concedere habitualiter usum throni vicariis apostolicis episcopali caractere insignitis, intra limites sui vicariatus. Thronus secumfert usum cappae magnae cum caudatario, non tamen septimi candelabri, nec diaconorum assistentium, nec salutationis per genuflexionem, quae sunt propria loci ordinarii. Id etiam servabitur cum episcopus extraneus, de speciali permissu ordinarii, ad thronum celebrat ad functiones primae partis PR persolvendas. CIC 337 § 3.

3. Si episcopus extraneus vel metropolita utatur throno loci ordinarii, ut eius loco ordinet vel consecret personas, inservient etiam diaconi assistentes, quasi loci ordinario, sed septimum candelabrum non erit apponendum. D 4355, III, 6<sup>um</sup>.

**31 SACRA ELEMENTA.** Si, tempore functionum, olea sacra, aquae sacrae, vel cementum benedictum deficient, licet aliud oleum de olivis, aquam vel cementum non benedictum, elementis similibus benedictis, semel et iterum adicere, minore tamen copia. CIC 734 § 2.

Saepius a PR exigitur ut olea vel aquae sacrae, aquae lotionis manuum post consecrationes, gossipia, medullae panis, aliaque, quae cum sacris oleis vel aquis contactum habuere, statim, finita functione, comburantur et in sacrario ecclesiae proiciantur, quod quidem, praesertim sacristis, nunquam satis commendabitur.

**32 IN FINE FUNCTIONUM** fas est antistiti indulgentias fidelibus praesentibus impertire: SRE cardinalis, trecentorum dierum; metropolita ducentorum dierum in tota sua provincia; episcopus, praelatus seu abbas nullius, praefectus vel vicarius apostolicus centum dierum, sed in suae iurisdictionis locis, non vero vicarii generales episcopali dignitate praediti. Decretum S. Poenitentiariae diei 20 Iulii 1942. AAS Sept. 1942. Benedictio pontificalis tamen ab iis solummodo dari potest qui episcopali vel cardinalitia dignitate sunt praediti; ceteri praelati, etiam iurisdictionem in loco habentes, eam impertire nequeunt. CIC 294 § 2; 323 § 2.

## Caput V

### DE VESTIBUS EPISCOPI IN SACRAMENTIS VEL SACRAMENTALIBUS ADMINISTRANDIS

**33 I) VESTES PRAELATITIAE.** Rubricae PR semper supponunt pontificem ad ecclesiam accedere in suo habitu quotidiano, sed pro PR habitus quotidianus est habitus praelatorum proprius, qui antiquitus quotidie adhibebatur, et non habitus niger, qui hodie quotidianus vocatur, cum quo non licet sacris interesse ritibus.

Pontifex cappa magna indutus ad ecclesiam accedit quando ad thronum peragenda sunt functiones primae partis PR, pro quibus omnes pontificales vestes accipere debet, etiamsi huiusmodi functiones ad faldistorium sint peragenda et pontifex usu cappae gaudeat.

Pro functionibus quae fiunt extra missarum solemniam, pontifex ad ecclesiam accedit cum palliolo vel manteleto, vel utroque, prout ei ius tribuit. Si vero functiones istae solemniori quodam modo faciendae erunt, pontifex, si sit loci ordinarius, vel praelatus superioris gradus, ad ecclesiam accedit cappa magna indutus, sicut etiam facere potest pro functionibus primae partis PR quae fiunt publice, licet cum missa lecta pontificali.

**34**      **II) VESTES SACRAE.** In solemnibus sacramentorum et sacramentalium administratione intra missarum solemniam, pontifex induit omnes sacras vestes ordinis pontificalis, tametsi missa sit pontificali lecta, ut aiunt. In solemnibus administratione sacramentorum vel sacramentalium extra missam, pontifex utitur amictu, alba cum cingulo, stola et pluviali, ac mitra cum baculo, etiamsi functiones sint lectae, uti consecratio lecta altaris fixi. Pro aliquibus functionibus minoribus, ut suis locis dicitur, alba cum cingulo non adhibetur, sed tantum amictus super rochetto, cum stola et pluviali quod a rubricis, pro functionibus publice faciendis, exigitur, etiamsi de benedictionibus minoribus agatur <sup>(1)</sup>.

In sacramentorum vel sacramentalium administratione immediate ante vel post missam lectam, pontifex utitur sacris vestibus missae lectae propriis, dempto manipulo, et acceptis mitra et baculo, si ritus ea expostulet; aliquando tamen usus pluvialis praecipitur, ut suis locis dicitur.

**35**      **III) STOLA TANTUM.** Pro functionibus quae privatim fiunt sufficit adhibere stolam circa collum nec assumitur pluviale; mitra consulto non adhibebitur <sup>(2)</sup>.

<sup>(1)</sup> Stricte loquendo pontifex pro administratione sacramentorum vel sacramentalium paratus, uti debet semper alba cum cingulo, est enim pars non spernenda pontificalium vestium, et a CE praecipitur adhibenda etiam pro simplici assistentia missae solemnium. Aliquando tamen pro ritibus minoribus ab usu albae dispensatur pontifex a rubricis, commoditatis gratia.

<sup>(2)</sup> Ad quaestionem de stola tantum induenda solvendam, quaedam principia statuenda sunt prout sequitur:

1. Vestes chorales seu praelatitiae et vestes sacrae sibi invicem opponuntur. Vestes chorales adhibentur in choro, et aliquando etiam in processionibus, quae sunt veluti chori continuatio. Vestes sacrae adhibentur ad altare, et in sacramentorum et sacramentalium administratione, licet quibusdam in casibus adhibere etiam possint in functionibus choralibus, ad instar concelebrationis et ad maiorem solemnitatem.

2. Stola, cum sit vestis sacra, directe super vestes chorales uti non licet, sicut nec pluviali vel aliis sacris vestibus.

3. Rochetum non est vestis sacra, sed pars habitus praelatitii, et praecise propter

Sed quaeritur quomodo se habeat pontifex quoad usum stolae tantum? Pro praxi solutionem quae sequitur damus:

1) Si fieri possit, episcopus ritus minores, qui stolam requirunt, administret ante vel post suam missam lectam, dempto manipulo.

2) Independentem a missa, si sit indutus habitu praelatio, deposito manteleto vel palliolo, stolam induit directe super rochetum; sed consulto, deposito habitu choralis, accipit superpelliceum super rochetum et deinde stolam <sup>(1)</sup>.

Superpelliceum est vestis sacra omnibus clericis communis, nec eius usus episcopis prohibetur, imo ante Benedictum XV episcopis regularibus

hoc Congregatio sacris ritibus tuendis praeposita iterum iterumque usum rocheti, tum ad altare tum in administratione sacramentorum et sacramentalium prohibuit, praecipiens usum superpellicei, edixit enim "rochetum non esse vestem sacram adhibendam in administratione sacramentorum". D 2993, V; etiam D 2622 cum suo suffragio p. 228; D 2680 cum suo suffragio, p. 317; DD 3556; 3784; et plurima alia.

4. Usus rocheti totaliter discooperti, prohibetur; est enim habitus choralis per dimidium.

5. In Romana Curia archiepiscopi et episcopi, ac ipsi patres cardinales frequenter induere debent superpelliceum super rochetum; ita fit ab episcopis qui officio capellanorum summi pontificis in celebratione missae lectae funguntur, vel in sacramentorum et sacramentalium administratione; ab archiepiscopis vel episcopis qui Feria Quinta Maiore sacram communionem de manu Papae recipiunt; a cardinalibus episcopis suburbicariis etiam sacris vestibus paratis. Antiquitus talis erat usus receptus pro omnibus praelatis, etiam episcopali vel cardinalitia dignitate fulgentibus, nam sub sacris vestibus vel alba vel superpelliceum erat adhibendum. CR vol. I, p. 151.

6. Difficile intelligitur qua ratione usus rocheti canonicis et praelatis in sacramentorum et sacramentalium administratione interdicatur, et, eadem permanente ratione cum ab episcopis induitur, ipsis a PR in iisdem adiunctis permittatur.

7. Rubricae PR nec semper idem dicunt. Vetus rubrica generalis (ante consecrationem calicis et patenae) dicebat "cum stola circa collum"; rubrica ubi de confirmatione non loquitur de stola super rochetum, rubrica appendicis (de confirmatione) facit pontificem induere amictum et stolam sine palliolo humerali; sed aliis locis rubricae iubent pontificem stolam super rochetum assumere. Rubricae PR tamen nullibi praecipunt usum pallioli cum sacramenta vel sacramentalia sunt administranda. LVH *Les Fonctions Pontificales*, ed. Stercky, vol. 2<sup>o</sup>, p. 316, nota corrigenda.

Concludendum est episcopum in sacramentorum vel sacramentalium administratione non posse uti stola super habitum choralem (cappam, manteletum vel mozeta), sed nec super rochetum cum non sit vestis sacra, in sacris proinde non adhibendum. Regula quam sequuntur episcopi, qui munere capellanorum papae funguntur, vel cardinales suburbicarii, ad omnes extendenda esset, ne fieret tam gravis contradictio inter rubricas et decreta, quasi rochetum naturam suam mutet quando ab episcopis adhibetur.

(1) Nonnulli credunt se posse uti stola super palliolo in administratione sacramentorum et sacramentalium ex eo quod summus pontifex id facit; sed argumentum non concludit, nam papa utitur stola (antiquitus frequentius, hodie rarius) super mozeta tamquam privilegio papali et signo amplissimae suae iurisdictionis in tota Ecclesia, etiam extra sacras functiones, vel quando assistentiam praebet; summus pontifex tamen non utitur palliolo in sacramentorum et sacramentalium administratione sed vestibus pontificalibus; praeterea privilegium apostolicum non est ad totum ordinem episcopalem extendendum.

praecipiebatur, et adhuc cardinalibus episcopis suburbicariis praecipitur; reliqua quaedam antiquae et melioris observantiae. Ita enim rochetum restringitur ad id quod revera est: pars habitus praelatorum, in sacris non adhibendum. Id praesertim valet pro episcopis regularibus quibus usus rocheti concessus est honoris et uniformitatis gratia, quando habitu praelatio utuntur, sed salvo iure Pontificalis de superpelliceo adhibendo cum accipiunt stolam tantum <sup>(1)</sup>.

3) Pro benedictionibus minoribus Ritualis vel Pontificalis, uti v. g. pro benedictione habitus clericalis, si episcopus sit cappa pontificali indutus, ea retenta, ad benedictionem procedat sine stola.

4) Si episcopus sit habitu quotidiano nigro indutus, ad ritus minores privatim obeundos, agat ritu sacerdotali cum stola et superpelliceo.

**36** IV) MITRA. 1. Usus mitrae praeceptivus est in functionibus in quibus episcopus, sacris vestibus paratus, benedicit, consecrat, ordinat.

2. Usus mitrae prohibetur quando pontifex, extra suum territorium, privatim confirmat vel tonsuram et ordines minores dat subditis suis. CIC 783 § 2; 1008.

3. Usus mitrae dum benedicit vel consecrat privatim episcopo extraneo prohibetur, nisi de licentia saltem rationabiliter praesumpta ordinarii loci. CIC 337 § 1. Potest tamen episcopus sine mitra privatim benedictiones et consecrationes non reservatas facere, etiam sine ulla licentia ordinarii loci.

4. Episcopus ordinarius, vel alius de eius licentia saltem rationabiliter praesumpta, non paratus, id est cum stola tantum, benedicit, consecrat, ordinat, sed *mitram tenere poterit ubi convenit* (rubrica generalis ante consecrationem patenae et calicis). Re consulta tamen episcopus mitram pro functionibus in quibus paratus praestit reservabit <sup>(2)</sup>.

(1) PR facit episcopos regulares uti superpelliceo, nam iuxta pervetustum usum, episcopi et cardinales ordinibus regularibus adscripti, ab usu rocheti abstinebant. Recentioribus temporibus episcopi regulares fere omnes a Sancta Sede usum rocheti impetrabant, quod quidem privilegium Benedictus XV, motu proprio, ad omnes extendit episcopos regulares. AAS 1920, p. 149. D 4360.

(2) Usus mitrae ab episcopo non parato, seu sine pluviali vel casula, nobis semper visus est quasi contra sensum communem, nam mitra est corona ceterarum vestium ordinis pontificalis, quas proinde supponit. CIC in quibusdam casibus usum administrandi sacramenta et sacramentalia sine mitra (CIC 783 § 2 et 1008) approbavit, et principium potest ad alia extendi. Verum est rubricam generalem (ante consecrationem patenae et calicis) dicere *quandocumque enim episcopalia agit, episcopalibus, non sacerdotalibus, debet esse paramentis ornatus*, quod sine dubio etiam ad mitram se refert, sed addit: *Pontifex... mitram tenere poterit ubi convenit*; proinde mitra pro ritibus minoribus non praescribitur, et solum convenit adhibere quando episcopus sacris est indutus vestibus, nam verba haec e Pontificali Durandi transcripta sunt, qui de pluviali, mitra et baculo loquebatur. Andrieu PR tome III, p. 458. Id etiam confirmatur maxima auctoritate Benedicti XIV, qui, loquens de usu mitrae in synodis a canonicis qui ejus gaudent privilegio, dicit: *Mitram gestare poterunt... modo tamen aliis sacris... vestibus adsint induti; incongruum quippe esset, sine aliis sacris indumentis, mitram deferre*. De Synodo, lib. III, cap. XI, n° 12. Lex certe ad omnes qui mitram adhibent extendenda.

**37** V) QUALITAS MITRAE. Mitra ab episcopo in fere omnibus functionibus PR adhibenda est 2<sup>a</sup> mitra seu auriphrygiata<sup>(1)</sup>. Aliquando tamen, licet rarius, ut suis locis dicitur, 1<sup>ma</sup> mitra seu pretiosa adhibenda erit. Mitra alba praecipitur in quinque absolutionibus defunctorum et episcopis seu abbatibus assistentibus in eorum consecratione vel benedictione. Semper tamen fas est episcopo, ne nimis gravetur, in maioribus benedictionibus seu consecrationibus, adhibere mitram simplicem loco auriphrygiatae, iuxta monitum CE I, 17, 3<sup>(2-3-4)</sup>.

**38** VI) BACULUS. Licet baculus sit proprius episcopi loci, tamen episcopus extraneus vel titularis iure illum adhibet cum, de licentia oci ordinarii, ordinat, consecrat, benedicit (CE I, 17, 5); nam functiones stae sunt propriae ordinarii, et, quando ab alio aguntur, nomine et auctoritate

<sup>(1)</sup> Quamquam iuxta CE mitra auriphrygiata esse potest *aliquibus margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermixto*, tamen iuxta usum romanum decet ut mitra auriphrygiata sit ex tela aurea simplici non undulata, sine laminis et margaritis et sine circulo et titulo, quae mitrae pretiosae reservantur. Quod tamen dicendum est quando plures episcopi parati conveniunt, uniformitatis gratia. CE I, 17, 1.

<sup>(2)</sup> Iuxta CE (I, 17, 3) in benedictionibus seu consecrationibus adhibenda est mitra auriphrygiata, et ita docent auctores generatim. Sed CE hoc loco a PR discrepat; nam PR quater tantum loquitur de mitra aurea, videlicet in consecratione episcopi vel abbatis benedictione et in appendice pro postremis baptismi ritibus et in matrimonio celebrando. PR ter de mitra pretiosa loquitur, videlicet, in oleorum consecratione, in synodo habenda et in receptionibus. Aliis locis, praesertim in tota secunda parte, PR praecipit usum mitrae auriphrygiatae, quae iuxta definitionem CE (l.c.) est mitra alba. Ita suo tempore docebat Durandus. Andrieu tome III, p. 462. Mitra auriphrygiata, ut ex ipso vocabulo eruitur, nunquam ab antiquis liturgistis simplex vocabatur. Guéranger eam *festivalem mitram* nuncupat. In notis ad PR Catalani, tom. III, p. 467.

<sup>(3)</sup> Mitra adhibenda ab episcopis vel praelatis qui ritibus assistunt, est mitra alba, color mitrarum proprius. Earum diversitas determinatur non solum a gradu festivitatis, sed etiam a dignitate personae; si minister principalis utatur mitra auriphrygiata, auxiliares vel coadiutores simplici uti debent, cum sint inferioris dignitatis ratione officii. Ita occurrit in abbatum benedictione et episcoporum consecratione.

<sup>(4)</sup> Cum in capellis papalibus cardinales utuntur mitra e serico albo speciali et episcopi mitra e tela linea ut appareat differentia hierarchica, putant quidam episcopos non posse uti mitra e serico albo, sed debere uti linea quandocumque mitra alba praecipitur adhibenda; sed perperam, nam iuxta CE (I, 17, 1), *tertia mitra ex simplici serico damasceno vel alio (serico), aut etiam linea sit confecta*; praeterea usus universalis concedit episcopis usum mitrae e serico damasceno ad normam CE extra capellam papalem. Proinde uti contra CE et usum receptum habenda est 2<sup>a</sup> pars responsionis SRC D 4354, I, 5, quae prohibet usum mitrae sericae episcopis. Certe intentio non fuit Sacrae Congregationis CE et usum receptum mutare. Lapsus potius tribuendus est illis qui regulam de mitra linea adhibenda in capellis papalibus, ubicumque servari debere putaverunt. Ita etiam censet Favrin *Praxis solemnium functionum episcoporum*, ed. 2, p. 115. Ad rem cl. Piacenza (EL, 1906, p. 593): "In hoc corrigendus est Gardellinius, qui in suo voto ad D. 2648, vol. IV, p. 274, supponit mitram simplicem eam esse quae ex tela linea conficitur".



ordinarii fiunt, et proinde minister utitur signo pastoralis sollicitudinis, et quidem, iuxta usum romanum, inde ab initio functionis <sup>(1)</sup>.

Licet episcopus non sit loci ordinarius, quandoque baculum pastorem adhibere debet, semper habeat partem reflexam ab se, scilicet versus personas vel res quas prospicit. D 4355, III, 3um.

Cum mitra et baculus sint correlativa, prohibitio mitrae secumfert prohibitionem baculi <sup>(2)</sup>.

## Caput VI

### DE FUNCTIONIBUS PONTIFICALIS ROMANI A PRAELATIS INFERIORIBUS OBEUNDIS

**39** Proprium id semper fuit Romanae Liturgiae solemniores ritus, praesertim qui ad administrationem Ecclesiae se referunt, episcopis reservare, nam Ecclesia, teste Cypriano, est *plebs sacerdoti adunata et pastor suo grex adhaerens* (PLM, 4, col. 419); id aperte docetur per integrum PR et functiones quae quomodocumque ad regimen animarum et ad ecclesiasticam ordinationem pertinent pastoribus stricto iure reservantur. Ad rem Angelicus "Ad episcopum pertinet in omnibus divinis ministeriis alios collocare. Unde ipse solus confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem constituuntur, et ideo ipse etiam solus virgines benedicit..., in ministeriis ordinum ordinandos consecrat, et vasa, quibus uti debent, eis determinat sua consecratione". Suppl., Quaest. 38, art. I.

Solet tamen Ecclesia ex generositate, vel, et frequentius, ex necessitate, nonnullos ritus ordinis pontificalis proprios sacerdotibus permittere, praesertim illis quibus pars aliqua Ecclesiae concredita est cum iurisdictione ordinaria ad instar episcopalis. Praelati ex ordine sacerdotali *praelati inferiores* a iure audiuntur, de quibus agendum.

<sup>(1)</sup> Iuxta CE (I, 17, 5) *Episcopus utitur baculo... ubi consecrationes aut ordinationes, vel benedictiones personales facere ipsi apostolica auctoritate conceditur*; tamen ut episcopus extraneus seu titularis benedicat, consecret, ordinet, indultum apostolicum, si adest loci ordinarius, nec requiritur nec est petendum, etiamsi loci ordinarius non sit episcopus. Nam loci ordinarius permittere potest exercitium pontificalium, quod mitram et baculum postulat. CIC 337 § 3. Benedictiones personales de quibus loquitur textus sunt illae 1<sup>ae</sup> partis PR, videlicet abbatis, abbatissae et virginum, sed usus receptus concedit baculum pro aliis functionibus ordinarii propriis, uti confirmatio.

<sup>(2)</sup> Usus stolae super palliolum cum mitra in capite et baculo in mani, tum intra tum extra administrationem sacramentorum seu sacramentalium, iuxta principia romanae liturgiae approbari nequit, est enim singularis fusio habitus choralis et sacrarum vestium. Talis consuetudo non approbatur, nec traditione ecclesiae Galliae, nam sic vestiti nunquam visi fuerunt Bossuet vel Franciscus Salesius. Praeterea talem confusionem sacrarum vestium cum habitu praelatio reprobavit SRC D 4855, I, 4.

**40** I) **ABBATES ET PRAELATI NULLIUS** amplissimis privilegiis ornantur, quasi sint episcopali caractere ornati, non exclusa ipsa ecclesiarum consecratione. CIC 294 § 2; 323 § 2. In functionibus ab ipsis intra proprium territorium obeundis omnia fiunt ut ab episcopo; habere tamen nequeunt septimum candelabrum; nec pontificalem vel apostolicam benedictionem ubi danda est impertiant (CIC 323 § 2); usus baculi eis non conceditur, nisi sint abbates benedicti vel ecclesias consecrare debeant. Tamen fere omnes praelati nullius, qui abbates benedicti non sunt, ad titulum episcopalem promoveri solent, et vix exstat praelatus nullius qui non sit vel abbas vel episcopus.

**41** II) **ABBATES BENEDICTI**, de regimine monasteriorum vel titulares, quosdam ritus PR exercere possunt ut ordinationes minores, et, dummodo speciali gaudeant privilegio, altaria et campanas consecrare. Functiones huiusmodi ipsis pro propriis ecclesiis tantum conceduntur. In illis exercendis abbates omnia faciunt ut in sequentibus titulis habetur; benedictionem pontificalem tamen non impertiunt nec indulgentias concedunt. Ritu etiam pontificali intra ecclesias suas procedunt cum functiones PR, quae ritu pontificali fieri solent, ab ipsis fiunt.

**42** III) **SEPTEM PROTONOTARII PARTICIPANTES** possunt ubique terrarum extra Urbem functiones PR quae eis a iure vel privilegio apostolico conceduntur, ritu pontificali ad instar episcopi titularis celebrare. Idem dicendum est de functionibus PR quae in appendice huius operis explanantur, quaeque ritu pontificali ab episcopis fieri solent; sed ipsis semper fas est huiusmodi ritus PR ritu sacerdotali exsequendi.

#### **42a** IV) **PRAELATI QUI EORUM GAUDENT PRIVILEGIIS.**

Privilegiis pontificalibus septem protonotariorum de numero fruuntur, nisi episcopali ornantur caractere:

*A) In tota Ecclesia (extra Urbem):*

- 1) Singuli Assessores et Secretarii Sacrarum Congregationum.
- 2) Quatuor praelati qui illis assimilantur:
  - a) Praefectus Cubiculi Summi Pontificis.
  - b) Secretarius Tribunalis Signaturae Apostolicae.
  - c) Decanus Sacrae Romanae Rotae.
  - d) Substitutus Secretariae Status.

*Pius XI Ad incrementum decoris n° XXIX*

- 3) Canonici protonotarii supranumerarii, etiam honoris tantum causa, trium Patriarchalium Urbis. D 4154, 14 et 33.

*B) Intra propriam dioecesim:*

Canonici protonotarii supranumerarii capitulorum quibus privilegia protonotariorum de numero concessa fuerunt. D 4154, 32.

*C) Intra proprium territorium:*

Vicarii, praefecti, seu administratores apostolici, dioecesibus, praelaturis sive abbatibus nullius ad tempus dati. CIC 315 § 2, 2º.

**42b** Protonotarii apostolici ad functiones PR ritu pontificali agendas quae sequuntur servent normas:

- 1) Praehabeant veniam loci ordinarii et praesulis ecclesiae exemptae, si ibidem sit celebrandum officium, vel agunt de speciali commissione ordinarii eiusdem, prout casus fert. Piacenza, Eph Lit, 1906, p. 596. D 4154, 5; CIC 337 § 1 et 2.
- 2) Sint habitu praelatio induti, cum cruce et annulo.
- 3) Ad fores ecclesiae excipientur a caeremoniario et a duobus clericis et se ipsos tantum aqua lustrali tacto aspersione aspergant. D 4154, 26.
- 4) Sedebunt ad faldistorium si functio id requirat.
- 5) Habebunt ministros tres pro mitra, libro, et scotula.
- 6) Usus baculi eis interdicitur. D 4154, 29.
- 7) Mitra erit auriphrygiata, quae cum simplici alternari potest (D 4554, 9); canonici protonotarii supranumerarii tamen utentur tantum mitra e serico albo ipsis propria. D 4154, 27.
- 8) Functiones exsequantur prout in hoc opere explanantur, quasi essent episcopi titulares, sed in singulis casibus consulant sectionem propriam, nam invalide ponerent consecrationes quae eis expresse non conceduntur.
- 9) In fine functionum benedictionem pontificalem nunquam dabunt. D 4154, 29.

**43** V) PROTONOTARII AD INSTAR participantium nequeunt functiones PR vel RR ritu pontificali ponere, exceptis casibus in lege praevisis, videlicet in processionibus et benedictionibus cum Venerabili. D 4554, 48. Procedunt tamen ritu pontificali quando, de speciali indulto apostolico, operam navant in functionibus PR, v. g. pro confirmationis sacramento administrando. Vide notam I, p. 51. Protonotarii supranumerarii (excipit trium Patriarchalium Urbis) extra propriam dioecesim, dummodo sint praelati domestici Suae Sanctitatis, protonotariis ad instar in omnibus aequiparantur.